

Band II., Nr. 407, Seite 181-182

Papst Alexander III. nimmt das Kloster Herrenalb mit genannten Besitzungen in seinen Schutz, und verleiht ihm weitere ausgedrückte Begünstigungen.

Anagni, 1177. Dezember 21.

Alexander episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis Ölrice, abbati monasterii sancte Marie de Alba, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam et institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis diximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prescriptum monasterium constructum est, cum omnibus pertinentiis suis, grangiam in Otterswilere, grangiam in Rasteten, grangiam in Otenchein, grangiam in Augia, grangiam superiorem et inferiorem in Malsca, grangiam in Scibenhart, grangiam in Bretehim, grangiam Egge, grangiam Mosenbrunnen, grangiam in Vbestat, cum omnibus appendiciis suis, agris scilicet, pratis, aquis, silvis, pascuis, cultis et incultis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas presumat exigere. Presenti quoque decreto sancimus, ut nullus infra dimidiam leugam^a monasterio vestro edificare presumat ecclesiam, de qua religio et quies vestra merito possit turbari. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et in vestro monasterio absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas

^aDie Worte *dimidiam leugam* stehen auf einer Rasur.

II

sit de eodem loco absque licentia abbatis sui discedere. Discedentem vero sine communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam, vel rapinam sive furtum committere, aut ignem apponere, seu hominem capere vel interficere audeat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. (*Rundzeichen.*)^b Ego Alexander, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. (*Monogramm für Bene valet.*)
 + Ego Ioannes, presbyter cardinalis sanctorum Ioannis et Pauli tituli Pama-chii, subscripsi. + Ego Albertus, presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina, subscripsi. + Ego Boso, presbyter cardinalis sanctę Pudentianę tituli Pastoris, subscripsi. + Ego Petrus, presbyter cardinalis, tituli sancte Susanne.

 + Ego Iacintus^c, sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, subscripsi. + Ego Cinthys, diaconus cardinalis sancti Adriani, subscripsi. + Ego Hugo, diaconus cardinalis sancti Angeli, subscripsi.

 Datum Anagnie, per manum Gratiani, sancte Romane ecclesie subdiaconi et notarii, XII. kalendas Ianuarii, indictione XI., incarnationis dominice anno MCLXXVII., pontificatus vero domni Alexandri pape III. anno XVIII.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An rot-gelber Seidenschnur die gewöhnliche Bleibulle mit der Aufschrift: ALEXANDER. *PP.* III.

^bMit der Umschrift: *vias tuas domine demonstra michi.*

^cDas Original hat *Jac* mit übersetztem Abkürzungszeichen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 489 K U 1017

Überlieferung und Textkritik:

Original 1999 abgegeben vom GLA Karlsruhe. Abschrift in Kopialbüchern: HStA Stuttgart H 14 Nr. 141, S. 1-2 und H 14 Nr. 142, S. 3.

Editionen:

MARTIN CRUSIUS: *Annales Suevici sive chronica rerum gestarum antiquissimae et inclytae Suevicae gentis [...]*, 3 Bde., Frankfurt am Main 1595-96, Bd. 2, 11, Kap. 9, S. 466. Besold: *Documenta rediviva*, Bd. 1 (Herrenalb Nr. 2), S. 132. FRANZ PETRUS: *Suevia ecclesiastica seu clericalia collegia tum secularia tum regularia [...]*, Augsburg 1699, S. 21.

Regesten:

PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII*, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 12959. *Germania pontificia*, Bd. 3, S. 116, Nr. 1.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Anagni

Ortsindex:

Anagni, Latium, Italien
 Au am Rhein Wohnplatz (5600)
 Au am Rhein, RA
 Bad Herrenalb Wohnplatz (6828)
 Bad Herrenalb, CW
 Bretten Wohnplatz (5295)
 Bretten, KA
 Eckhöfe Wohnplatz (5178)
 Eckhöfe, Baden-Baden, BAD
 Gut Scheibenhardt : Beiertheim, Karlsruhe KA
 Gut Scheibenhardt Wohnplatz (5240)
 Malsch HD
 Malsch Gemeinde (6396)

IV

Moosbronn Wohnplatz (5733)
 Moosbronn, Gaggenau, RA

Ottersweier Wohnplatz (5798)
 Ottersweier, RA
 Rastatt Wohn-
platz (5814)
 Rastatt, RA
 Ubstadt Wohnplatz (5471)

Ubstadt, Ubstadt-Weiher, KA
 Ötigheim, RA